

11. 7.



116. 17

COMMENTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA  
DE  
ANTI-CHRISTO  
IN IPSA ECCLESIA CHRISTI  
EXISTENTE

AD 2 Theff. II, 3. 4.

QVAM

PRAESIDE

IOANNE FRIDERICO  
BAHRDTIO

S. S. THEOL. D. ET P. P. E. CONSISTORII REGII ASSESSORE  
AD AEDEM D. PETRI CONCIONATORE

PRAECEPTORE ET PATRONO SVO OPTIMO

IN AVDITORIO THEOLOGORVM

D. II. AVGVST. A. C. N. MDCCLV.

DEFENDET

AVCTOR

IOANNES GVILIELMVS RICHTERVS

WILSDRVFA - MISNICVS

S. S. THEOL. STUDIOS.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA

COMPLETIO PHILOSOPHICAE THEOLOGICAE  
 A. N. T. O. H. R. I. S. T. O.  
 IN IPSA ECCLIA CHRISTI  
 EXISTENTE  
 P. R. A. E. S. I. D. E.  
 IOHANNES THEOPHILUS  
 B. A. R. D. T. I. O.  
 IN AVDITORIO THEOLOGORUM  
 JOHANNES GUINEMANUS NICTERVS  
 L. P. S. I. A. H. E.  
 IN OFFICII APOSTOLICI



PERILLVSTRI  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
IOANNI GEORGIO  
DE PONICKAV

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS  
POLONIARVM ET ELECTORIS SAXONIAE  
LEGATO IN CONVENTV STATVVM EVANGELICORVM  
SACRO SPLENDIDISSIMO NEC NON EIVSDEM CVBICVLI  
SACRI CLAVIGERO ET RELIQ.

DYNASTAE IN POHLE, SCHOENBRVNN, STACHE  
C E T.

DOMINO AC MAECENATI SVO  
GRATIOSISSIMO

PERILLVSTRI  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
IOANNI AVGVSTO  
DE PONICKAV  
POTENTISSIMO SARMATARVM REGI  
AC PRINCIPI EL. SAX. A CONSILIIIS  
RERVM BELLICARVM INTIMIS  
DYNASTAE IN KLIPPHAUSEN ET SACHSDORFF  
PATRONO OMNI OBSERVANTIA  
VENERANDO

HAS QVALESCVNQVE  
STVDIORVM ACADEMICORVM  
PRIMITIAS  
IN  
PERPETVVM SVBMISSAE VENERATIONIS  
ANIMI QVE GRATISSIMI TESTIMONIVM  
VOTIS  
PROSPERRIMAE VALETVDINIS ET OMNIS  
GENERIS FELICITATIS  
ARDENTISSIMIS ADIVNCTIS  
DAT, DICAT, CONSECRAT,

SIMVLQVE  
VLTERIORI GRATIAE PATROCINIO ET TVTELAE  
SE SVAQVE STVDIA COMMENDAT

PERILLVSTRES  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMI DOMINI

TANTIS NOMINIBVS

ADDICTVS DEDITVSQVE  
IOANNES GVILIELMVS RICHTERS.





\* \* \* \* \*

## Συνοψις.

§. I. De ratione hoc institutum tractandi. §. II. Momentum doctrinae.  
 §. III. Vocis αντιχριστος varia significatio et usus. §. IV. V. Vestigia  
 anti-christi in V. T. §. VI. VII. VIII. Explicatio textus grammatica.  
 §. IX. Probatio thesisi e textu. §. X. XI. XII. XIII. XIV. Refutatio  
 sententiarum contrariarum. §. XV. Conclusio. §. XVI. Votum.



## §. I.

Si vlla in re caute et circumspecte est versandum, id imprimis in  
 determinanda τὸ αντιχριστος persona esse obseruandum puto:  
 Non leue quid est, temere cuidam ea imputare, quae sacrae lit-  
 terae de Anti-Christo praedicant, nisi antea certus sis, te in iis  
 ad hanc vel illam personam applicandis non errare. Aduersarius enim  
 Christi, in eo sensu, quo scriptura sacra eum vult accipi, si sumitur, cum sit  
 homo perniciosus, ανομος i. e. malitiose et insigniter impius, qui a Domino  
 nominatim iudicabitur 2 Thess. II, 8., qui βασανισθησεται εν πυρι και θεω  
 ενωπιον αγγελων κ. τ. λ. Apoc. XIV, 10., nobis caueamus necesse est,  
 ne talis ανομιαις falso aliquem accusemus, illudque iudicium horribile, quod  
 facta eius sequetur, cuidam destinemus, in quem tamen non caderet. Talia  
 enim praecipitanter et in consulto cuidam adscribere, amor, quem omnibus  
 vi doctrinae nostrae debemus, haud permittit. Id autem euitare possumus,  
 si notas illas, quibus Christus ipse per Apostolos hostem ecclesiae suae in-  
 fensissimum ita distinxit, vt digito quasi demonstrari possit, accurate atten-  
 dimus. Inter hos characteres imprimis eminet ille, quod nullibi, nisi in  
 ipsa ecclesia Christi, sit quaerendus: hac enim veritate demonstrata extra  
 periculum errandi sumus positi. Cui enim προσκειμενα, quae in textu  
 nostro ordine recensentur, in coetu Christiano conueniunt, is non potest non  
 esse Anti-Christus. Quod autem iste ecclesiae Christianae aduersarius non  
 debeat esse nisi domesticus, iam probabimus, quis sit non opus est addere,  
 quia cuiuslibet, si demonstratum est, vbi sit, in oculos incurret.

## §. II.

De momento huius doctrinae si accurate diiudicare volumus, nobis  
 attendendum est, quid et quomodo scriptura sacra, quae norma est creden-  
 dorum, de hac doctrinae Christianae parte doceat. Id quidem verum est,  
 doctrinam de Anti-Christo non pertinere ad naturam religionis Christia-  
 nae,

nae, quia neque pars, neque praesuppositum necessarium, neque consequens est, quod necessario ex notione religionis Christianae fluat. At enim non ea tantum sunt creditu necessaria, quae in ipsa religionis Christianae natura sunt fundata, sed etiam quae scriptura sacra euidenter et frequenter docet: Ex clara enim et frequenti doctrinae cuiusdam reuelatione colligere licet, eam necessario esse tenendam, quia alias nullam tam claram et saepius repetitam patefactionis rationem perspicimus. Talem igitur euidentiam in sacris litteris habet doctrina de Anti-Christo, ad quam accedit, quod non vno sed pluribus locis sit reuelata. Ideo hanc doctrinam merito ad *articulos fidei fundamentales secundarios* referimus, cui quidem non ob nexum cum scopo primario religionis nostrae naturalem, sed tamen ob testimonium Spiritus sancti euidentissimum, fides necessario ab iis qui scripturam legunt est tribuenda.<sup>a)</sup> Cum porro aduentus huius aduersarii ecclesiae Christi cum *παση απαντη της αδικιας* sit coniunctus, operae praeium erit scire, quis et ubi sit ille, quid credat, et ab aliis credi velit, ne doctrinae et personae eius nescii, praeter opinionem ab ipso seducamur, ad quam curam et vigilantiam in primis obligati sumus, quando e vaticiniis videmus, illam temporum periodum proxime instare, quo vis et potentia eius se maxime exferet. Merito igitur vituperari meretur consilium eorum, qui ex eo, quod quidam in determinandis Anti-Christi fatis errarunt, statim volunt, melius esse, vt de eo nihil amplius diceretur; sed aliorum errores, quorum multae possunt esse causae, tum in intellectu, tum in voluntate, nos obligare non possunt, ne adhibitis legitimis interpretandi subsidiis, illud quod verum est eruamus.

## §. III.

De pondere huius argumenti vbi vidimus, iam erit indicandum, quid per Anti-Christum intelligamus. Vi vocis *αντιχριστος* est quilibet, qui vel in doctrina vel in vita Christo aduersatur, in quo sensu latiori haec vox accipitur a Ioh. in I. Epist. Cap. II, 18. *νυν αντιχριστοι πολλοι γεγονασι*; ab his autem distinguitur eodem versu, non sine ratione in numero singulari, *ε αντιχριστος κατ' εξοχην* sic dictus, qui non est indiuiduum singulare, sed persona moralis, seriem multorum hominum sibi inuicem succedentium repraesentans, id quod ex eo intelligitur, quia aduentu Christi demum abolabitur 2 Theff. II, 7., et Pauli aetate ecclesiae se iam insinuabat v. 6. Temporis autem spatium, quod inter Pauli aetatem et aduentum Christi intercedit, tam magnum est, vt vnica persona ad illud explendum non sufficiat, sed plures sibi inuicem sequentes requirantur. Haud infrequens

a) Vid. Summe venerandi CRVSI nostri Programma de Articulis fidei fundamentalibus.

quens etiam est hic loquendi modus in Script. Sac., vt licet vnica tantummodo persona appelleretur, omnes tamen simul succedentes subintelligantur. Sic v. c. Paulus ad Hebr. IX. dicit in singulari ὁ ἀρχιερεὺς εἰς τὰ ἄγια κατ' ἑναυτον. Quis vero ita concludere velit, quia Paulus de summo sacerdote in singulari loquitur, ergo vnicus tantummodo summus sacerdos fuit. Aliud exemplum, quod hoc loquendi genus illustrat, est Deuter. XVIII. *In sensu igitur strictiori* Anti-Christus est ordo hominum, in ecclesia Christi dominantium, qui videri quidem volunt, quod Christum magnificent, sed tamen doctrinam et ecclesiam eius oppugnant. <sup>b)</sup> Quia autem praepositio ἀντι in compositione non semper notat *aduersus, contra*, vt in ἀντιλεγειν, sed etiam *pro, loco*: vt ἀντιθεός non tantum est Deo contrarius, sed etiam Deo equiparandus; ἀντιπατὸς proconsul, et apud Iudaeos אַנְטִיכְרִיסְטִי Caesaris locum obtinens vid. ВУХТОРЪ. Lex. Talmud. p. 138. sic Αντιχριστος potest etiam significare talem, qui se vicarium Christi iactitat, ex quo prior illa significatio, nempe contrarietas, qua Christo aduersatur, per se consequeretur. Si cuidam haec significatio magis arridet, tunc Anti-Christus erit series Vicariorum Christi sibi inuicem succedentium, qui autem non praestant, quae vicario Christi conueniunt, sed potius ecclesiam ipsius oppugnant atque deperdunt. <sup>c)</sup> Tandem *in sensu strictissimo* est persona physica et vnum indiuidum, de quo sermo est Apoc. XVII. Ceterum adhuc obseruare liceat, quod, quemadmodum Christus interdum pro Christianismo, sic Anti-Christus pro Anti-Christianismo, vt ita dicam, poni possit. vid. BENGEL, Gnomon ad 1 Ioh. II, 18.

## §. IIII.

Hostem quandam ecclesiae Christi malignum venturum esse, Apostolorum iam temporibus communis erat christianorum sententia, id probatur exinde, quod Iohannes 1 Ep. cap. II. dicit κηρυξατε ὅτι ὁ Αντιχριστος ἐρχεται, i. e. audistis de famoso illo Anti-Christo venturo: vbi obiter est

b) Vid. CARPZOVII Isag. in Libr. Symbol. p. 824.

c) Hanc significationem minime vult concedere BELLARMINVS lib. III. R. P. cap. I., ex eo fundamento, quia praepositio ἀντι proprie significet oppositionem, nunquam subordinationem: sed quod non semper oppositionem significet, ex libris N. T. ipsis probatur e. c. Matth. II, 22. vbi Archelaus dicitur βασιλευσεν ἀντι Ηραῶδ τῷ πατρὸς. Christus cap. XX. dicitur ἕναί τὴν ψυχὴν ἀντὶ λατρῶν ἀντι πολλῶν. Errauit igitur BELLARMINVS s. errare voluit, ne hac vocis significatione concessa, quilibet ad Pontificem Romanum concludere possit.

est notandum, praesens positum esse pro futuro secundum consuetudinem loquendi Hebraicam. Exempla plura vid. in GLASSIO lib. III. Tract. III. Can. LXVIII. p. m. 892. Ipse articulus, vim pronominis demonstratiui obtinens, indicat personam haud incognitam. Et quia Neronem crudelitatis infamia insignem pro Anti-Christo putarunt, <sup>d</sup>) facile perspicimus vim etiam tyrannicam aduersarii Christi ipsis innotuisse, quia ex feritate Neronis concludebant, ipsum esse illum hostem ecclesiae. Expectauit igitur iam ecclesia primaeua talem coetus Christiani deuastatorem, quia de aduentu illius, non ex ea tantum reuelatione, quae Apostolis de eo per Sp. S. fiebat 1 Tim. IV, 1., sed ex vaticiniis quoque V. T. certi esse potuerunt, ex quibus quaedam tantummodo allegare liceat.

## §. V.

Verba sunt notatu digna, quae leguntur Ps. CX, 6. מִחַץ רֶאֶשׁ עַל אֶרֶץ רַבָּה. Hunc Psalmum non nisi de Christo agere, ex iis quae in eo referuntur, ex testimonio ipsius Seruatoris et legatorum eius, et denique ipsorum Iudaeorum ita clarum est, vt contradici nequeat. Siftitur Messias v. 5. 6. tanquam victor hostium; ab his distinguitur quidam, qui vocatur מַלְכִים i. e. princeps late regnans. Quis autem est iste, qui praeter מַלְכִים et גֵּוִים qui h. l. memorantur, Christo aduersatur regnumque habet longe diffusum? Sine dubio est ille, de quo Paulus v. 8. dicit: ὁ Κυριος αναλωσει αυτον τῷ πνευματι τῆ σαματος αυτου.

In Cantico Moysi Deuter. XXXII, 42. a מַשְׁחָאִים et צִירִים quorum vindictam Deus iureiurando interpositio praedixit, notanter in numero singulari distinguitur מַשְׁחָאִים פְּרַעַת אִיִּב רֶאֶשׁ caput vltionum hostis, i. e. hostis quidam insignis, praecipuus et capitalis, quem prae aliis vindicta diuina persequetur. <sup>e</sup>) Quodsi igitur locutionem in numero singulari, et iudicium in

d) LACTANTIVS Lib. de Mort. Persec. cap. II. dicit, quidam Neronem credunt esse translatum ac viuum reueruatum, et qui primum persecutus est idem etiam nouissimus persequatur et praecedat aduentum Anti-christi, SVLP. SEVER. Histor. Sacr. lib. II. cap. XXVIII. Nero, non dicam regnum, sed omnium hominum et vel immanium bestiarum sordidissimus dignus extitit, qui persecutionem in Christianos primus inciperet: nescio an et postremus expleat. Siquidem opinione multorum receptum sit, ipsum Anti-Christum venturum.

e) SCHMIDIUS vertit: ex felle, veneno: sed hanc versionem ideo approbare non possumus, quia ו) si רֶאֶשׁ fel notare debeat, id ex additamento aliquo

in illum hostem capitalem comparamus cum eo, quod Paulus in capite nostro v. 8. dicit, et Christus ipse in Apocalypsi sua per Iohannem vberius explicat, probabile esse videtur, his verbis Anti-Christum indicari: conf. cum his locis Ps. LXVIII, 22. 31. Hab. III, 13. 14. Non autem vaticinia tantum de Anti-Christo in scriptis Prophetarum exstant, quae litteraliter de eo agunt, sed reperiuntur etiam, quae mystice illum indignant. Sic de iis, quae de fastu Regis Babyl. ab Es. Cap. XIV, 13. 14. historice dicuntur, recte cum Paulo dicere possumus, *παντα ειναι αλληγορημενα*. Quodsi enim regem hunc fastuosum cum superbia, quam Paulus de Anti-Christo praedixit, et cum iis, quae de eo in Apoc. cap. XIV. XVI. XIX. narrantur, comparamus, euidenter perspiciamus, his locis ad illum Regem alludi. Satis igitur haec probant, Ecclesiam Iudaeorum antiquam, de insigni quodam Messiae aduersario notitiam quandam, etsi obscuram habuisse. Quia autem notabilis hic coctus Christiani persecutor haec demum tempora, quae a prophetis vocantur *אחרית הימים* pertingere debebat, inde factum est, vt a Paulo hoc dogma de Anti-Christo, tanquam praeceptum aliquod et magis perspicuum inculcaretur.

§. VI.

Iam accedimus ad explicationem textus nostri, qua praemissa, ostendimus, hunc gregis Christo addicti devastatorem, ipsius societatis Christianae membrum existere debere. En ipsa verba!

3.) Μητις υμας εξαπατηση κατα μηδενα τροπον. οτι εαν μη ελθη η αποστασια πρωτον, και αποκαλυφθη ο ανθρωπος της αμαρτιας, ο υιος της απωλειας.

B 2

4.) O

quo pateret, vt v. 32. *ענבי ראש*, et v. 33. *ראש פנים* 2) totum orationis schema confunderetur. Deus vindictam suam comparat cum bestia, quae inebriata sanguine caesorum hostium fit ferocior; quomodo vero ad hoc quadraret venenum? Sensus igitur totius commatis hic est: *Inebriabo vel ebrias quasi faciam* (notetur *προσωποπαυα*) *sagittas meas sanguine, et gladius meus vorabit carnem* (quasi immanis bellua) *inebriabo inquam sanguine eorum, qui in praelio caeduntur et captiui abducuntur*. Speciatim a capite ultionum *bovis*, i. e. inprimis gladius et telum meum pascetur interitu insignis cuiusdam capitis s. principis hostium, de quibus vindicta sumi debet. B. LV. THERVVS explicat per caput denudatum. Sed quomodo dici potest: inebriabo sagittas meas capite denudato? commode autem, caede insignis cuiusdam hostis. Deinde *ראש*, quod non amplius nisi Iud. V, 7. legitur, non notat nuditatem, sed ultionem.

4.) Ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεργειρομενος ἐπὶ παντὶ λεγομενον Θεὸν ἢ σεβασμα, ὡσεὶ αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τῆς Θεῆς ὡς Θεὸν καθίσαι, ἀποδεικνύοντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ Θεός.

Thessalonicenses aduentum Christi ad iudicium extremum iam proxime instare credebant, lactique diem expectabant, quo fideles ad Christum επισυναγονται. Huic errori Paulus sollicitè occurrit, illumque leniter refutat. Ad aduentum Christi quod attinet, dicens, rogamus vos, ne tam celeriter dimoueamini a sententia vestra, quam a me accepistis, ac si ille iam sit propinquus; ne decipiat vos aliquis vllò modo. Dico enim vobis, non veniet ille dies, nisi prius venerit etc. Haec propositio: non veniet ille dies, est omiſſa, ideoque subintelligenda. Est anacoluthon, cuius generis plura habemus in sacris litteris exempla. Ex multis, vnicum allegabo. Luc. IX, 12. discipuli ad Christum dicunt: καὶ εἰσὶν ἡμῖν πλεῖον ἢ πεντὲς ἄρτοι, καὶ δύο ἰχθύες, εἰ μὴ τι πορεύθεντες κ. τ. λ. Quis non videt, ante verba εἰ μὴ, desiderari totam orationem, quae haec est: εἰ δυνατόν ἐστι etc. non possumus iis dare quo vescantur, nisi profecti aliquo emamus etc. Ne aliquis putet, tales integrorum membrorum ellipses esse vitium linguae: exempla ex optimis auctoribus graecis collecta legi possunt in LAMBERT. BOS. Ellips. Graec. p. m. 417. seq., GLASS. Lib. IV. Tract. II. Obf. IV. Sic etiam h. l. post verba μηδὲνα τροπον, haec oratio est subintelligenda: λεγὼ ὑμῖν ὅτι καὶ ἐρχεται ἡ ἡμέρα χρεῖστα, εἰ μὴ etc. et sic omnis difficultas tollitur.

#### §. VII.

Πρῶτον, quia non respicit secundum, melius vertitur per prius, quemadmodum verbum πρῶτος, pro πρῶτος multis in locis legitur: sic Ioh. I, 30. ὅτι πρῶτος με ἦν quia prior quam ego erat. Luc. II, 2. ἡ ἀπογενεσθῆς πρῶτη est pro πρῶτη.

Ἀποσασία defectio s. discessio. Articulus additus indicat insignem illam et praedictam defectionem. Deducitur haec vox ab ἀφιστημι, quod notat sciungere, separare, ἀφισταμαι deficere, discedere. Hinc ἀποσαστης et ἀποσαστης est qui deficit et secessionem facit. In sacris litteris significat defectionem a doctrina aliqua: sic Act. XXI, 21. ἀποσασία ἀπο Μωσῆος, est defectio a lege Moſaica. Verbum ἀφιστασθαι itidem de defectione a fide Christiana adhibetur 1 Tim. IV, 1. ἀποσησονται τινες τῆς πίστεως. Respondet haec vox Graeca Hebraicis, פשע סרה מעל, quae LXX. saepius per ἀποσασίαν vertunt. Intelligitur igitur h. l. defectio aliqua insignis a doctrina Christi

Christiana, prouti Religionis Christi desertores peculiari significatione *αποσταται* appellantur, quod exemplum Iuliani probat.

*Αποκαλυφθη* conspicuus, manifestus fiat; idem est quod *Φανερωθη*. Responder Hebr. *גלה* in Niphal. Ec. LIII, 1. cuiam manifestatur brachium Dei i. e. a quonam cognoscitur vis et potentia Dei? Cap. XL, 5. *נגלה כבוד יהוה* apparet, cognoscitur, *Φανερα εστι gloria Domini*. Haec autem *Φανερωσις* Anti-Christi in primis fiet, quando *ε Κυριος καταργησει αυτον*, ut ipse Paulus testatur v. 8. *ε ανθρωπος της αμαρτ.* est notus Hebraismus. *חן חן* Frou. VI, 12. Chaldaei dicunt *גברא עולה*. Iob XXX, 8. *שע נשתי רשע* viri improbitatis i. e. insigniter improbi. Sic hoc loco *ανθρωπ. αμαρτ.* idem est quod *ε καθ' υπερβολην αμαρτωλος*.

*Ο υιος απωλ.* verbum *υιος* pariter inseruit periphrasi, et idem est ac si simpliciter positum fuisset *ε απολωλος*. Qui cum aliqua re vel persona habet commercium, Hebraeis dicitur filius eius rei et personae, e. g. *בן עולה* filius iniquitatis i. e. peruersus Pl. LXXXIX, 23. *בני עני* filii ad afflictionis i. e. afflicti, *υιοι φωτος* sunt homines illuminati. Sicut igitur apud Ec. I, 4. *משחיתים בני חיים* sunt qui alios perdunt, ita in textu nostro *ε υιος της απωλ.* est qui ipse perit, homo perditus.

§. VIII.

*Ο αντικειμ:* Haec vox derivatur a verbo *αντικειμαι*, quod proprie de locis ex aduerso positis adhibetur, et in re bellica de duobus oppositis exercitiis. Per metaphoram deinde applicatur ad res, quae sibi inuicem repugnant. vid. Galat. V, 17. *ταυτα αντικειται αλληλοις: ε αντικειμ.* igitur h. l. est qui se opponit. Medium habet significationem reciprocam 1 Tim. V, 14. Diabolus sic vocatur. Hebr. *טש*.

*Υπεραιε.* κ. τ. λ. qui se effert super omnem qui dicitur Deus. Locus huic similis est Dan. XI, 36. *אל כח על יתגורר*, vbi verbum *יתגורר* accuratissime respondet verbo *υπεραιεμενος*.

*Υπερ παντα.* Hic varia lectio est. Quidam pro *παντα* legunt *παν το λεγομ.*: Sic Interpres Latinus. Hieronymus. Tertullianus lib. contra Marc. V. quam lectionem etiam B. Lutherus secutus est. Sed lectio vulgaris *επι παντα* nititur omnibus fere codicibus Graecis, ergo est praeferenda. Praeter vnicum autem Deum *εξ ε τα παντα*. Dii etiam vocantur stylo scripturae Principes et Magistratus Pl. XCVII, 7. Exod. XXI, 6. Ioh. X, 35. et hi intelliguntur hoc loco, quod e voce sequenti apparet.

*Σεβασμα* est omne id quod colitur. Act. XVII, 23. *σεβασματα* sunt opera rei sacrae ergo condita, vt templa, statuae, imagines. Scriptor Sapientiae XIV, 20. *Το πληθος εφελκομενον δια το ευχαρι της εργασιαις του*

προ ολιγῶ τιμηθέντα ἀνθρώπων, νῦν σεβασμα ελογισαντο. i. e. plebs per elegantiam operis scil. statuarii seducta eum, qui paulo ante homo erat, nunc sacrum putat et religiose colit. Hoc loco autem per σεβασμα intelliguntur principes et superiores, quos ob munus diuinitus ipsis traditum, nos venerari oportet, prouti σεβαστος plerumque cognomen erat Imperat. Roman. ad eoque πᾶς λεγ. θ. et σεβασμα pro Synonymis sunt accipienda. At enim non supra potestatem civilem tantum se effert iste nefarius, sed in ecclesia quoque Christi vt Deum coli et adorari se cupit. Effrenata eius dominandi cupiditas vsque eo se extendit, ὡς αὐτον εἰς τον ναον κ. τ. λ. vt ipse in templo Dei sedeat vt Deus: praepositio εἰς est pro εν, quae mutatio non est infrequens. Καθίζω proprie notat sedere facio, et καθίζομαι me sedere facio vel sedeo. Sed non raro actiuum assumit significationem medii, quae est reciproca, vbi tamen semper subintelligatur pronomem reciprocum εαυτον. Exempla non opus est addere, sunt enim non minus in profanis quam sacris litteris vbiuis obuia. vid. KVSTERVS de Verbis Mediis Edit. WOLL. p. 96. IOH. ALBERTI Obs. Phil. p. 417.

Ναὸς Θεῶ alias est templum Hierosolymitanum, cuius terna diuifio est nota. Nempe יְהוָה י. προναον. שַׁרְתָּא תַּא אֲרָמָא f. יְהוָה et denique יְהוָה שַׁרְתָּא quod speciatim dicitur ναὸς Θεῶ, quia ibi erat יְהוָה sedes Dei. Sicuti autem יְהוָה, quod proprie partem interiorē, nempe τὰ ἁγία notat, latius sumitur pro toto templo, sic etiam ναὸς saepius omnes templi partes simul significat. Quando Christus in templo dicitur docuisse, intelliguntur atria et porticus. Cum autem aedificium hoc splendidissimum, vt et ordo et splendor sacerdotii ac cultus Leuitici, vel ex ipsa Iudaeorum sententia praefiguraret excellentiam et praestantiam τῆς οὐρανευῆς μελλουσης Hebr. II, 5. vel Ἱερουσαλημ ἐπερβαῖον; per Hierosolymam autem coelestem Iudaei intelligerent oeconomiam ecclesiae N. T. vid. B. SCHOTTGENII Gamalielis nostri desideratissimi Diss. de Hierosolyma coelesti, quae annexa est T. I. Horar. Hebr. et Talmud.; clarum exinde est, h. l. per ναον Θεῶ intelligi debere ecclesiam Dei, in qua sedeat ille maleuolus Christi aduersarius, sic etiam explicant HIERONYMVS, AMBROSIVS, THEODORETVS, CHRYSOSTOMVS alique, quorum testimonia allegantur a CALOUIO in Bibl. Illustr. ad h. l., nec repugnat vsus loquendi. Nam Ephes. II, 21. vocatur ecclesia Christi ναὸς ἁγίος, et fideles 2 Cor. VI, 10. ναὸς Θεῶ ζωντος.

Ἀποδεικνυντα εαυτον κ. τ. λ. ostentans se esse Deum. Obseruetur Graecissimus. Proprie debebat esse ἀποδεικνυντα οτι ὁ αὐτος ἐστι Θεος, qui elegans loquendi modus saepius occurrit in libris N. T. Verbum ἀποδεικνυντα,



*ἄνωγμ*, quod proprie significat argumentis aliquid clarum reddere, cuius Synonymon est, *ἀποδείξιν ποιῆσαι*, hoc loco significatum habet ostendandi et iactandi. Sensus igitur est: per dominium, quod sibi supra omne iniusto modo arrogat, pro Deo ipso se declarabit. Singula verba textus nostri vbi enucleauimus, paraphrasin illius addamus.

*Dico vobis carissimi, aduentum Christi ad iudicandum non tam propere instare, vt ab aliorum sententiis seducti putatis. Non veniet Dominus ad iudicium, nisi prius praecesserit insignis illa, de qua iam vobis dictum est, defectio a pura Religionis Christianae doctrina, et manifestatus fuerit homo ille perniciosus, perditus, qui insurget et efferet se contra omnem potestatem civilem, qui venerandos non venerabitur, sed Caesare ipso, Regibus et Principibus se maiorem crederet, adeo, vt in ecclesia Christi sedens, imperaturus sit quasi ipse Deus, et quia locum Dei in his terris se obtinere putabit, talem etiam cultum, qui soli Deo competit, impudenter sibi arrogabit.*

§. IX.

Iam ad palmariam Disputationis nostrae partem peruenimus, quae in eo cernitur, vt e textu nostro eliciamus, quod in rubrica libelli nostri promissimus. Demonstrabimus nempe, Anti-Christum extra ecclesiam Christi non esse quaerendum. Veritas huius propositionis latet in voce *ἀποστασία*, et verbis *ὡσεὶ κἀδισαὶ αὐτὸν κ. τ. λ.* Doctrinam enim veram debet deserere et tamen in ecclesia adhuc regnare; qui autem in sinu ecclesiae regnat, illum oportet etiam ipsius ecclesiae membrum existere. Certissimum autem est, per *ἀποστασίαν* intelligi derelictionem verae fidei et doctrinae Christi, prouti ab Apostolis fuit tradita. Paulus ipse est verborum suorum interpres, nam, quod hoc loco in abstracto *ἀποστασίαν* appellat, id in 1 Epist. ad Timoth. Cap. IV. explicat per *ἀφίστασαι τῆς πίστεως*. In viroque autem loco de eadem re esse sermonem, nemo incicias ire poterit. Quum igitur Paulus ipse alio loco vberius explicauerit, quid per *ἀποστασίαν* velit intelligi, quid impedit, quo minus in eius interpretatione authentica adquietemur? Huc accedit vsus loquendi de quo §. VIII. dictum est. Qui autem doctrinam Christi puram et integram deserit, hic necessario ea imbutus, adeoque membrum societatis Christianae fuit. Recte inquit; Fuit membrum ecclesiae Anti-Christus, sed eo ipso, quod ab ea defecit, membrum illius esse desit. Ergo non datur *Anti-Christus*, vti vocatur, *Ecclesiasticus*. Neque id concedimus. Dicimus, Anti-Christum sanam Christi doctrinam deseruisse, et tamen in ecclesia Christi vt Christianum viuere.

Qui

Qui enim totius coetus Christiani vult esse caput et princeps, qui potentiam Christi inuisibilem in se tanquam vicario cognosci contendit, et thronum suum ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ collocat, eum necessario ad ecclesiam adhuc pertinere oportet. At enim ab integritate disciplinae Christi deficere, et tamen Christianum adhuc esse sibi contradicunt? Id verum est, si *defectio est vniuersalis*, sic vt persona, diuinitas et munus Christi, qui est fundamentum ecclesiae, et omnes doctrinae, quae necessario ex hoc fundamento fluunt, prorsus negentur et reiciantur, non autem, si est *partialis*, sic vt doctrina de Christo quidem seruetur, sed mutetur et corrumpatur. Non igitur Anti-Christum, etiamsi erret in partibus doctrinae Christianae palmaris, a coetu Christiano excludimus, illumque nomine Christiani priuamus; sed patienter ferimus, vt manifesti fiant, qui sunt *δοκίμοι*; familiaritatem autem illius euitantes, diem expectamus, quo ira Dei illum consumet. Quum igitur textus noster Anti-Christo sedem in ecclesia etiam post apostasiam adscribat, recte cum maioribus nostris consentimus, qui in Tractatu de Potestate et primatu Papae, qui articulis Smalcaldicis subiunctus est, ita verba faciunt: *Paulus describens Anti-Christum, vocat eum aduersarium Christi, extollentem se super omne, sedentem in templo tanquam Deum. Loquitur itaque de aliquo regnante in ecclesia, non de regibus ethnicis p. 348.*

## §. X.

Omne genus humanum respectu cultus religiosi, cui singulae nationes addictae sunt, dispescitur in Ethnicos, Iudaeos, Muhamedanos et Christianos. Inter *Ethnicos* igitur magnum illum Anti-Christum, vi eorum quae de illo praedicantur, frustraneum erit quaerere. Etsi enim quaedam e. g. quae de factu dicuntur, ad Imperatores aliquot Romanos, qui inter Diuos se referri desiderarunt, et Christi sectatores vehementer vexarunt, applicari possunt, cetera tamen *ἠναγιγνασκου* ad eos non quadrant. Quae GROTIUS de Caio commemorat, satis iam refutata sunt a CALOUIO in Bibl. Illustr., vt nihil amplius dici possit, quod non sit dictum. De Muhamedanis apostasia quidem illa magna praedicari potest, sed non το καθίσταται εἰς τὸν ναὸν Θεοῦ. Hi enim ad gentem Christianam plane non pertinent. Quodsi autem vnica tantummodo nota in aliquem non conuenit, vaticinium Pauli de eo interpretari non licet.

## §. XI.

De *Iudaismo* haud pauci hanc Pauli praedictionem exponere volunt, quorum rationes primo intuitu speciem aliquam prae se ferunt. Cl.

SCHOETT-

SCHÖETGENIVS in Hor. Hebr. et Talmud. ad h. l. ab hac sententia etiam non est alienus, qui de Pharisaismo et Rabbinismo eam explicat. Neque tamen clerum Romanum vult excludi, quia qui in eodem tertio conveniunt, in illos idem nomen quadrare putat. Sed venerationem, quam cineribus huius viri longe meritisissimi et praeceptoris mei quondam per dilecti debeo, me haud laesurum esse puto, si dubium illud, quod semper contra hanc sententiam mihi obstitit, proferam. Paulus de hoste aliquo nondum manifestato, sed adhuc venturo loquitur. Procures autem Iudaeorum tunc temporis, cum Paulus haec scribebat, erant ecclesiae Christi devotiores omnibus satis cogniti, nec contra sanctos et iustos vehementius saevire potuerunt, quam antea saevierant, ut ex Act. Apost. satis constat. Nonne apud ipsos Thessalonic. cum Paulus Iesum e mortuis resuscitatum praedicaret esse τον Χριστον, rebellio excitabatur, sic ut απειθεντες Iudαιοi ira et furore efferverent? Quicumque igitur hostis Christo iam restitit, cum adhuc in vivis esset, et manum violentam ipsi iniecit, post eius autem ascensionem ferociam statim suam erga sectatores relictos exercuit, illos carceri inclusos verberibus castigavit, lapidibus obruit, et doctrinam ut blasphemam diris execratus est, de illo, inquam, hoste Paulus, qui prae aliis vim eius tyrannicam expertus est, dicere non potuit, ipsum nondum adesse sed adhuc venturum esse. Destructionem quidem illius praedicere potuit, sed non aduentum. Cum autem in hoc describendo sit copiosus, clarum est, ipsum non Pharisaeos sed alium Christi adversarium magnum intendisse.

## §. XII.

Rationes quae pro Pharisaismo Iudaico e textu nostro elici possunt, sunt sequentes. 1) Iudicium de Hierosolymis et terra Iudaica sumendum, stylo scripturae vocatur παρασία Χριστου, id quod negari non potest. Hunc autem aduentum Christi ad destruendas Hierosolymas hoc loco non intelligi, cognoscitur ex voce addita επισυναγωγή, quae coniuncta erit isti aduentui. In excidio autem Hierosolymitano fideles ad Christum nondum sunt congregati, congregabuntur autem die novissimo, tunc enim αποσείλει τις αγγελος αυτου και επισυναξει τις εκλεκτους αυτου Marc. XIII, 27. 2) Quia Iudaei iugum Romanum detestantes vehementer pro libertate sua pugnarunt, et posteris temporibus potestati Romanorum se plane subiicere nolabant. Obstupefcimus pertinaciam eorum, qua Vespasianis se opposuerunt. Non crederemus furiosam Zelotarum mentem, nisi scriptores fide digni id traderent. Ad hanc igitur Iudaeorum pernicitiam mentemque eorum obscuratam commode το υπεργαισθησαι in textu nostro accommodari

dari possent. 3) Quia Summi Sacerdotes dignitate sua, quae inter Iudaeos erat summa, abutebantur, illamque non a sanctitate muneris, sed a persona sua deriuantes, multa superbiae eximiae specimina edebant. Quia porro Pharisei, in quorum oculis **עַלְיוֹת הַרְרִי** vel *εγλος*, quia legem non meditabatur, erat *επιματαρατος*, assessores erant Synedrii magni, vid. Act. XXIII, 6. locus autem huius concilii magni ante mortem Christi fuit in atrio templi, qui vocabatur *לשכת הגזית*, postea vero in tabernis *תנוורת* quae in monte templi erant vid. Reland. Antiq. Hebr. p. 222., *τὸ καθίσταει εἰς τὸν ναὸν θεοῦ* non incommodè etiam ad Summi Sacerdotis et Phariseorum superbiam, quam in Synedrio M. ostendebant, referri posse videtur. Hae igitur rationes iunctim sumtae efficere possunt, ut vaticinium hoc in euerfione Hierosolymorum impletum esse credamus.

#### §. XIII.

Sed hoc non ita esse, breuiter iam demonstrabimus 1) *Ἀποστασις* non attingit Phariseos. Hi enim a religione, cui nunquam fuerunt addicti, deficere non potuerunt; per defectionem autem ab imperio Romano explicare *ἀποστασιον* non possumus, nisi Paulo ipsi contradicere velimus vid. §. VIII. IX. 2) De aduentu Christi ad iudicium vniuersale versu primo sermonem esse, ex adiuncta voce *ἐπισυναγωγή* euidentissime demonstratum est §. XII. Hoc iudicium iam prope imminere, Thessalonicenses erant persuasi. Id negat Paulus; ratio est: quia malum aliquod insigne diem nouissimum praecedere debet. Si igitur malum hoc, quod tam male depinxit, in excidio Hierosolymitano iam impletum fuisset, in errore suo, cui nimium fauebant Thessalonic., tamen adhuc perstare potuissent. Nam haec Epistola scripta fuit anno AE. D. 48., Hierosolyma vastata sunt anno 70. vid. BENGEL. Ordo Temp. p. 278. 291. Temporis igitur interuallum, quod vaticinium Pauli et eius complementum inter ponitur, constat ex annis 22. An vero credibile est, Paulum per praedictionem mali cuiusdam, cuius euentus tam longe a fine mundi remotus est, errorem Thessalonicens. de proxime instante die nouissimo refutare voluisse? Sic enim qui ex illis euentum huius vaticinii viuendo attigissent, sibi persuadere potuissent, diem extremum nunc instare, quia malum, quod illum praecedere debuit, iam abolitum sit, adeoque Paulus scopo suo contra egisset. Credendum potius est, eiusmodi vaticinium hoc loco intelligi, cuius impletio vltima mundi tempora pertingit. Ex his igitur adductis clarum est, hanc prophetiam Apostoli, si demonstrare voluit, finem mundi longe adhuc abesse, de Iudaismo eiusque destructione agere non posse.

#### §. XIV.

## §. XIV.

Romanae ecclesiae interpretes regnum Anti-Christi ad finem mundi referunt, qui ipsum ita definiunt. Anti-Christum futurum Iudaeum e tribu Dan, Hierosolymis sessurum et per triennium cum dimidio ante nouissimum diem regnaturum. Sed hic Anti-Christus est chimaera. Omnia enim quae ipsi attribuuntur sunt *αγραφα*. Alium autem, praeter eum, quem sacrae litterae docent, nobis effingere non licet. Vbi enim scriptura originem eius docet e tribu Dan? Vbi locum ipsi perpetuum Hierosolymis assignat? Vbi triennium tantum cum dimidio ipsum regnaturum esse dicit? f) Commentum igitur est humanum, ad quod non attendimus. Quae enim Scriptura de eo dicit, ipsi nesciunt, quae autem Scriptura nescit, ipsi sciunt.

## §. XV.

Quia diximus per *αποστασιαν* defectionem a vera Christi doctrina intelligi debere, GROTIUS ET HAMMONDVS eam applicant ad Simonem Magum. Sed eo tempore impietas Simonis iam erat manifesta, quomodo igitur Paulus dicere potuit: *veniet η αποστασια* Simonis, quum iam praeritisset? Nec eorum sententia est probanda, qui apostasiam de insigni aliqua Christianorum defectione ad Gnosticos exponunt. Nam si totum orationis nexum attendimus, haec contra monenda esse videntur. 1) Nihil obstabat, quod eos a defectione detinebat. Tale autem quid commemoratur versu 8. quem sic verro: Nostis aliquid esse, quod malum hoc impediatur, quominus iam emanet. Plerique interpretes intelligunt Imperatores

C 2

f) Id quidem ex Apoc. XI, 2. 3. probare student Pontificii. Ibi memorantur dies 1260. Qui autem si sunt dies vulgares, efficiunt menses vulgares 42. et ex his efficiuntur tres anni cum dimidio. Hoc autem loco dies vulgares nec propheticos intelligi debere, exinde apparet, quia duo testes, qui per hos dies 1260. prophetabunt, *εξουσιαν εχουσιν κλεισαι τον ουρανον, ινα μη βροχη υδωρας εν ημεραις αυτων της προφητειας*. Quod si igitur intelligerentur dies propheticus, qui secundum computum BENGEI. reddunt sexcentos annos; mundus sine pluuia tam diu consistere non posset; bene autem ea deficere potest tres annos et dimidium. Per hoc triennium et dimidium calcabitur vrbs sancta, et quando duo testes munus suum perfecerint, *το θυριον το αναβαινον εκ της αβυσσος* quod est Anti-Christus cf. Cap. XIII. et XVII., illos occidet. En igitur triennium Anti-Christi! Sed terminus a quo huius calcationis et caedis, non est initium Regni Anti-Christi, hoc tantummodo dicitur, quod vim suam tyrannicam in primis tres annos et dimidium in ciuitatem sanctam exerciturus sit, exinde autem non sequitur, ipsam non antea iam dudum regnasse.

tores Romanos, quorum potentia dum valebat, Anti-Christi cupiditatem dominandi coërcuit. Quae interpretatio, quia cum Historia optime consentit, nec melior datur, non est reicienda. Quis autem, qui ad castra Philosophorum Gnosticorum transire voluit, interdictis, legibus, et potentia Imper. Rom. fuit retentus? Nulla in historia extant vestigia, quibus libertatem, haec vel illa Philosophorum placita eligendi fuisse coërcitam, stabiliri possit. Ex libris sacris contrarium potius potest adduci, qui multos referunt, qui sine impedimento aliquo Christum deseruerunt, et placita Gnosticorum cum doctrina sancta commiserunt. 2) Perierunt isti desertores, sed non eo modo, quo Anti-Christus perire debet, qui describitur v. 8.

## §. XVI.

En igitur! in coetu Christiano hoc malum a Paulo praedictum grassatur. In Ecclesia Christi sedet, imperat saecuitque Anti-Christus. Quae in diuersas partes cum sit dissecta, dispicendum est, quaenam illius pars hunc deuastatorem alat et foueat. Iam cuiuslibet, qui accurate scit, quae sacrae litterae de eo praedicant, erit cognoscibilis. Quia autem soli Hierarchiae Romanae, quae in definitione Anti-Christi determinantur, comperunt, defensores illius omni studio allaborant, vt stupidos et hebetes nos efficiant, ne oculis videamus et mente intelligamus. Omnia eorum argumenta, quibus ab hoc crimine se tutos reddere student, allegare et expendere, ratio instituti nostri non patitur. Vnicum liceat examinare, quo inprimis Romanenses hanc maculam ab ecclesia sua remoueri posse credunt, cuius tamen vim in ipso textu nostro frangi atque infirmari, quilibet perspiciet. Pontificii queruntur, magnam sibi fieri iniuriam, quod Papatu a Protestantibus Anti-Christianus esse existimatur. (Nam quae de Anti-Christo late et stricte dicto, nec non de eo quatenus persona moralis est, et aliquando persona physica erit, dici debent, lubens nunc praetermitto.) Negant enim Anti-Christum esse posse, qui in ecclesia habeat potestatem legitimam. Quae, si argumentis idoneis fuerit probata, ecclesiam eorum reprehendere Anti-Christianam, religioni nobis omnino ducemus. Cum autem haec potestas, quam de se praedicat curia Romana, vel mere per petitionem principii asseratur, vel sit tantummodo *externa*, et e textu nostro euidentissime demonstrari possit, Anti-Christum tali potestate *externa* vsurum esse, quis non vider, Pontificios ista disputandi ratione nihil efficere, posse?

## §. XVII.

## §. XVII.

Quod reliquum est, praesidio Tuo, o Domine! suffulti, de ecclesiae  
 Tuae quando premitur et vexatur, salute et felicitate nec vnquam despera-  
 bimus. Sub pedibus Tuis hostes iacent prostrati et iacebunt. Saeuiit con-  
 tra Te inimica gens Iudaeorum, in primis ecclesiae tuae plantandae initiis.  
 Ista autem feritas nil impediuit, quominus fidelium numerus in dies auge-  
 retur. Aduentu tuo vis, furor, et potentia eorum fuit imminuta et fracta,  
 vt Tibi amplius resistere non possent. Saeuiit contra Te Tuosque gens a  
 vero cultu aliena et superstitionibus plane submersa: Vox nota est: *Chri-*  
*stianos ad leonem.* Iacent superbi ac impii persecutores. Saeuiit et adhuc  
 saeuit contra Te Tuosque qui fidem seruant, ὁ ἀντιμεμνος, sed hic etiam  
 iacebit, cum venies ad euertendum, qui ecclesiam Tuam euertit. Mirabilis  
 Tuae, erga ecclesiam pressam prouidentiae, exemplum iam edidisti, cum ante  
 duo saecula post violentos turbines pax iucunda et serena mentes perterritas  
 laetificaret. Confirma eam, o Deus O. M. in secula.



# COROLLARIA.

I.

*Datur quadruplex aduentus Christi. Venit enim in carnem et ad excidium Hierosolymitanum. Veniet etiam ad destruendum τοῦ ἀντικειμενοῦ et ad iudicandum omne genus humanum.*

II.

*Ecclesia potest errare.*

III.

*Haeretici in ecclesia sunt tolerandi.*

IV.

*Clerici potestati civili sunt obnoxii.*

V.

*Pont. Rom. eiusque Clerum dominantem Anti-Christum dicere nulla est iniuria.*

VI.

*Ecclesia Rom. non ideo vera est, quia Anti-Christus est in ecclesia Christi.*

VII.

*Homo priuatus in casu necessitatis, seruandae vitae causa Pontifici violento resistere modo potest, quanto magis vniuersa ecclesia munere et dignitate eum remouere, negotoque obsequio eius deserere partes potest, Gersonis est sententia, de auferibilitate Papae considerat. X. T. II. Opp. edit. Dupinii.*

VIII.

*Contra Anti-Christum preces ad Deum mittere iustum piunique est.*

NOBILIS-



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
 AVCTORI HVIVS LIBELLI  
 S. P. D.  
 P R A E S E S.

**A**mbigua profecto res est et anceps consilium, ingenue fortiterque ingratiam profiteri veritatem, in qua exponenda nihil est difficilius, quam ita temperatis moderatisque moribus vera dicere, ut summa seueritas summa cum humanitate iungatur. Non quidem est vlla temperatior oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis, oratoris ipsius humanitate conditur. Quocumque autem aequabili moderatoque dicendi genere lenire seudeas quae turpia sunt, scelerata et detestanda, vix tamen vnquam quae vera sunt dices, sine asperitatis specie, et inclementiae opprobrio, quae his, qui sunt veritatis impatientes, videtur esse vituperanda. Ita verum est illud Galeni: πᾶσι ἀσθενέσι εὖ εἶναι μίσειν τῆς ἀληθείας λέγοντας, et vsu comprobatur quotidiano quod ait Terentius:

Namque hoc tempore

Obsequium amicos: veritas odium parit.

Ea nimirum est conditio veritatis, censente Hieronymo, vt eam semper inimicitiae perscrvantur, sicut per adulationem perniciosae amicitiae comparantur: libenter enim quod delectat audimus, et offendit omne quod nolumus.

De Anti-Christo disserere inuidiosa sane res est, et ancipitis periculi plena. Animaduersionis enim seueritas, asperitatis atque temeritatis nomine, amicorum eius offensam incurret; modestia autem et temperata lenitas, timiditatis et blandae adsentationis praetextu, inimicorum facile conciliabit

ciliabit indignationem. Media TE, ORNATISSIME IUVVENIS, inter utramque partem via, ita feliciter incessisse video laetorque, ut ab alterutra earum, quid reprehendi iure meritoque possit, non intelligam, nisi quod incorrupta fides nudaque veritas, quos afficit, nunquam tamen sine offensione relinquat. Offendi quosdam, cum Saluiano sentis, quamuis suspicor, his quae diximus; Sed quia veritas magis, quam offensio cogitanda est, dicam et saepe dicam. Recte omnino VIR DOCTISSIME, nullus reprehensor formidandus est amatori veritatis, de qua si scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur. monente Augusto, qui ideo veritatem dulcem esse, et amaram pronuntiat: quando enim dulcis est, parcit, et quando amara, curat.

Gratulor ergo industriae, quod exhibes, dexteritatisque et virtutis specimen, quod nihil indiget commendationis. Magna enim vis est veritatis cuius suscepisti patrocinium, quae contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias, facile se per se ipsam, TEque simul defendet. ILLUSTRISSIMA quibus libellum inscribis, MAECENATVM NOMINA, praesidio TIBI erunt, causaeque, quam egisti bonitas ac veritas, his aequae TE commendabit, ac peritia TVA docilisque solertia, incorrupta morum integritas et elegantia, meum non saltem, quod ingenio fateor, sed omnium qui TE norunt, amorem TIBI laudesque conciliauit. Quare verborum non opus est, ubi rerum documenta adsunt, testimonio, nec habeo quod propensae mentis addam significationi, praeterquam vota, quibus prouiduae summi rerum humanarum moderatoris curae TE, TVAM que committam felicitatem.

Ipsae non intelligis tantam, CLARISSIME RICHTERE, qua sit incedendum verae felicitatis via, sed iam es ingressus, quam nosti, bene beateque viuendi rationem. Quam ut eo fortiori tenacissime prosequaris studio, indagandae sectandaeque veritatis τῆς κατ' εὐσεβείαν feruorem accendat, et indies inflammet Spiritus veritatis, ut donis tandem bene instructus πνευματικός, doctrinae salutaris custos sis acerrimusque vindex, cuius ex opera regnum Christi robur capiat et amplificationem: Anti-Christi vero iacturam patiatur et decrementam. Dab. Lips. III. Cal. Aug. MDCCCLV.



AB: 194322


ULB Halle 3  
003 249 751




sb.

12







16 17

COMMENTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA  
DE  
ANTI-CHRISTO  
IN IPSA ECCLESIA CHRISTI  
EXISTENTE

AD 2 Theff. II, 3. 4.

Q V A M

P R A E S I D E

IOANNE FRIDERICO  
BAHRDTIO

S. S. THEOL. D. ET P. P. E. CONSISTORII REGII ASSESSORE  
AD AEDEM D. PETRI CONCIONATORE

PRAECEPTORE ET PATRONO SVO OPTIMO  
IN AVDITORIO THEOLOGORVM

D. II. AVGVST. A. C. N. MDCCLV.

DEFENDET

A V C T O R

IOANNES GVILIELMVS RICHTERVS

WILSDRVFA - MISNICVS  
S. S. THEOL. STVDIOS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA